



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Epistola XVIII. Ad Stephanum Meldensem Episcopum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**

## EPISTOLA XVIII.

Ad Stephanum Meldensem Episcopum.

*Rogat conferri Beneficium Ecclesiasticum Fratri cuiusdam Monachi Claravallis.*

Dilecto in Christo Patri & Domino, Stephano, Dei gratia Meldensi Episcopo, Fr. Philippus de Eleemosynâ, salutem & sincere dilectionis affectum. Quod stabilem possidet animus noster de vestra benignitate fiduciam, non est iactatio meriti, sed vestrae dignationis occursum, familiaritas prompta, iucunda serenitas, alloquium dulce, liberalitatis officiosae comis oblatio, parabilis gratiae signum praestat, & confidentiae nutrimentum. Sic animus noster ad aestimationis suae lineam, deuotionis suae format affectus, & amoris figurat imaginem; vt qualem iudicat amicum, talis se illi vinculo gaudeat alligari. De vestra igitur sinceritate praesumens, supplicatione qua possum, preces vestrae porrigo charitati, vt cuiusdam Fratris nostri, (a) fratrem carnalem, bonae indolis adolescentem, beneficio subleuetis ecclesiastico, & studium eius vberi misericordiae subleuetis. Si scire vultis quis ille est, Religiosi viri & honesti Fratris Huberti Claravallensis Monachi Frater est, Adam vocatur, in Episcopatu vestro natus & tenatus, bonarum artium & partium ciuis, dignus (vt credimus) qui pia subuentionis gratia fulciatur. Ad manum est quod fat est Ecclesia Sanctae Cilinae, & Ecclesia de Aciaco, in manu vestra sunt, absque Pastore, sufficeret vna pauperi vestro, si benevolentiae vestrae pietas assentiret. Non illi metas ponimus, aut edictum, sed sicut benevolentiae vestrae placuerit, petitioni nostrae precum gratia praestetur effectus. Quidquid illi pro amore

Dei & nostro feceritis, nobis factum reputabimus, excellentiae vestrae gratius & arctius obligati. Vale.

## EPISTOLA XIX.

Ad Henricum Anglorum Regem.

*Petit readificationem duorum Monasteriorum Ordinis Cisterc. Fordae, & Stanleia.*

Illustri Domino, & in Christo plurimum dilecto, Henrico, Dei gratia, glorioso Anglorum Regi, Fr. Philippus de Eleemosynâ feliciter in praesenti, & in aeternum regnare felicitus. Regia constitutio virtutis debet esse stabile firmamentum. Quia nec sapientiae potentia, nec leuitas congruit maiestati. De vestrae pietatis & maternae deuotionis affectu, geminum lumen in Angliâ experat emicare, & duobus monasterijs statio congrua parabatur. Fraudis erugo & inuidiae tinea demolitur, quod honestatis & iustitiae laudanda produxit intentio, & in ecclipsim luminosa propositio demigravit. (b) Fordae dissipata est, Stanleia non proficit, & ex duobus facta confusione, pietatem violat, gratiam non meretur. Solemnis binarius in tenebrosam Monadem commeauit; & vna ex duobus integris nata corruptio, nomini vestro non militat, vitiatibus non inferuit, non proficit ad salutem. Combinatio haec votum non implet, promissum non soluit, non augeat meritum, non assidet aequitati, dissipat vnitatem. Combinatio haec, dissensiones parit, disciplinam non redolet, dissentit ab Ordine, propositi vestri iacturam promouet, benevolentiae germinat detrimentum. Non habet haec mixtura Myrrae & Aloës libras centum, sed cum vili passere venit dipondio, & in exteriores tenebras abijci promeretur. Qui mem-

Xx 3

(a) Fratrem suum vocat Monachum Claravallensem. (b) Forda & Stanleia, Aglia canobia, Filia sunt Canobij de Eleemosyna.